

- + Ego THEODINUS Portuensis & S:te (Ruffine ?) sedis episcopus ss.  
 + Ego HENRICUS Albanensis episcopus ss.  
 + Ego THEOBALDUS hostiensis & velletrensis episcopus. ss.  
 + Ego JOHANNES tit. sancti Marci presbiter Cardinalis ss.  
 + Ego LABORANS. presbiter cardinalis. s. Marje transtjberjm. tit. Calixti ss.  
 + Ego PANDULFUS. presbiter cardinalis. tit. basilice. XII. Apostolorum. ss.  
 + Ego ALBERTUS diuina permissione tit. sancte crucis in ierusalem  
 presbiter cardinalis ss.  
 + Ego MELIOR presbiter Cardinalis Sanctorum Johannis & Paulj tit.  
 Pagmachie ss.  
 + Ego ADELARDUS. tit. santi Marcelli presbiter Cardinalis. ss.  
 + Ego ARDITIO Diaconus Cardinalis sancti Theodorj. ss.  
 + Ego GRATIANUS Sanctorum Cosme & Damiani Diaconus cardinalis. ss.  
 + Ego SOFFRED sancte Marie in via lata diaconus Cardinalis. ss.  
 + Ego ROLLANDUS sancte Marie jn porticu diaconus. Cardinalis. ss.  
 + Ego PETRUS diaconus Cardinalis sancti Nicholai in carcere Tuscú-  
 lanensi ss.  
 + Ego RADULFUS Sanctj Georgij ad uelum aureum diaconus Cardinalis. ss.  
 Datum. Verone. per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbiterj  
 Cardinalis et Cancellarii. Nonis. Nouembris. Indictione quarta. Incarnationis  
 dominice. Anno. M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXXV. Pontificatus vero domini LUCII. Pape III.  
 Anno Quinto.

Blybullan vidhänger i gula och röda tvinnade silkestrådar.

97.

1186.

Lund.

Konung KNUT WALDEMARSSONS stadfästelse på framfarna Konungars gåfvor till Lunds Dom-  
 kyrka och der gjorda inrättningar m. m.

B. 1: 14.

*Confirmacio dotacionis & priuilegiorum ecclesie lundensis per kanutum  
 regem. regis waldemari filium.*

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Ego KANUTUS. regis walde-  
 mari filius. per dei gratiam et dispositionem. regni danorum monarchiam  
 tenens. Cum sederem in solio in ciuitate lundensium que est metropolis  
 danie. pro disponendis prouinciarum negociis. Intellexi et cognoui bonum  
 esse. et ecclesiasticis vtilitatibus necessarium. ad cautelam futurorum. predia  
 deo collata et annuales census atque possessiones. regia munificencia dona-

*Sv. Dipl.*

16

tas a nostris antecessoribus. regia tuicione muniri. et municione tueri. vt nostra quoque confirmacione et testimonio. suscipiant firmitatem perpetuam. que per reges. gloriosos antecessores nostros. Legittimam et irrefragabilem secundum leges regni susceperunt donacionem Sancte igitur memorie rex Kanutus. cuius venerandis reliquiis feonensis ecclesia. immo totius regni danorum decoratur amplitudo. In ciuitate predicta. Deo et sancto martiri Laurencio monasterium instituit. predia et possessiones donauit. Donata regali auctoritate roborauit. Et ex donatis. preposituram et nouem sacerdotales prebendas. cum scolarum beneficio constituit. Jtem de annuali censu eiusdem ciuitatis. qui ex antiqua consuetudine. pro areis dari solet viginti septem marcas. in dotem et desponsale ecclesie prememoratae singulis annis perdonaui. et in die dedicacionis. coram multis et memorandis testibus. episcopis et presbiteris illius temporis. ducibus. stabularibus et multis nobilibus diuerse etatis et ordinis. ratum esse Deo preside. eternaliter stabiliuit. Preterea. de omnibus terris. quas Deo et glorioso martiri Laurencio dedit. omnem regiam iusticiam. fratribus inibi. Deo pro tempore famulantibus perpetim annuit. jta vt in potestate sit prepositi. ceterorumque fratrum. quidquid cause emerit. tribus exceptis. Hoc est. Si quis colonorum extra pacem positus fuerit. pacem a rege redimat. Substanciam eius. prepositus et fratres tollant Jtem si expedicionem. predictorum quispiam neglexerit. erga regem emendet. Equos reddarios non dent. nisi cum rex ipse venerit Nos itaque in reddenda graciaram actione. Deo. eiusque genitrici marie intemerate virgini. quorum gracia et meritis. nos in thronum patrum meorum conscendisse. credimus et confitemur. Has omnes donaciones et causarum prouentus. sicut sanctus ille instituit atque ordinauit. rata et inconuulsa. manere decernimus. atque regia auctoritate solidamus. Juxta hunc quoque priuilegiorum tenorem que vel reges predecessores nostri. vel pontifices. seu alii boni et fideles viri pro sui suorumque felici memoria condiderunt. et aliquas terras ad predictum locum dederunt Tam has quam alia. fideliter illi loco oblata. in nostram suscipimus protectionem. vt sic iam dictum est. omnis regia iusticia. que ex causis diuersis prouenire solet. Illis tantum que dicta sunt exceptis. preposito et canonicis attineat. Hec vt rata sint. sigillo nostro cartam hanc signauimus. ad honorem regis regum. qui uiuit et gloriatur Deus benedictus in secula seculorum Amen Si quis prepotens. nobilis vel ignobilis. natus vel non natus. hanc constitucionem vel mutare vel violare. seu funditus in irritum reuocare attemptauerit. sit de sorte eorum qui dixerunt domino Deo. recede a nobis. scienciam viarum tuarum nolumus. sit de parte datan et abiron. sit truci incendio deputatus. vbi ab aquis nimium. transitur ad calorem nimium. Actum Lundis Anno dominice incarnationis. Millesimo Centesimo octogesimosexto. Jndictione quarta. Gloriosissimj danorum monarche

kanuti anno tercio. dominij absalonis. Lundensis archiepiscopi tercij. archiepiscopatus. anno octauo. domina regina danorum. G. consentiente. Cum illustri duce. W. regis fratre. et absalone archiepiscopo Stabulariis collaudantibus. quorum hec sunt nomina. Gunni. Strangi. Rogincer. ebbi. Presbiteris capellanis. Homero. Duccone. Nicolao.

98.

1188—1197.

Ärke-Biskop PETERS i Upsala Gåfvobref till Kanikerna derstädes på all Biskopstionde af Bälings och Waxala härader samt Obui i Waxala, äfvensom på 100 alnar väf det år, då Ärke-Biskopen håller visitation i Helsingland, med stadfästelse derjemte på all den fastighet Kanikerna ägde eller kunde förverfva.

A. 2 a. 3.

Vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris. Petrus dei gracia sancte upsalensis ecclesie archiepiscopus. salutem in perpetuum. Notum sit uniuersitati uestre quod nos formam antiquorum inimitari cupientes. ad confirmandum statum christiane religionis ordinemque monasticum in nostra metropolitana ecclesia corroborandum. Pro salute nostra & gregis nobis commissi nec non & episcoporum pro animabus predecessorum nostrorum. Ac prosperitate subsecutorum dedimus inperpetuum elemosinam. & sustentacione canonicis in upsalensi ecclesia deo famulantibus omnem decimam que ad episcopale ius pertinet de beling. & waxalle. & ut nullus omnino hominum hanc donacionem audeat cassare. eam pontificali auctoritate & sigilli nostri testimonio comunimus. Ad hec eisdem fratribus contulimus totum censum nostrum in waxalle de obui & in anno illo quo neophitos nostros per helsingelond uisitauerimus de beneficio nostro. C. ulnas tele ad usum illorum exponemus. Ceterum uero quascunque possessiones queque bona prefati canonici in agris. siluis. pratis. pascuis. piscationibus. decimis. et aliis redditibus in presenciarum iuste et canonice possident. aut in futurum concessione pontificis. largitione regum. & principum. uel oblatione fidelium. seu aliis iustis modis prestante domino poterint adipisci. eis firma suisque successoribus illibata permaneant\*). Si qua igitur quod absit ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis & donationis paginam. uel arte infringere temptauerit. & secundo. tercioue commonita. si non satisfactione congrua emendauerit. potestatis honorisque sui dignitate careat. reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. & a sacro corpore & sanguine dei & domini nostri iesu christi aliena fiat. atque

\*) Det följande af handlingen är skrifvet med mörkare bläck, men af samma hand.